

**Dissertatio medica inauguralis de papaveris usu, tam noxia, quam salutari,
in parturientibus, ac puerperis ... / [Maxwell Garthshore].**

Contributors

Garthshore, Maxwell, 1732-1812.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : 'typis Academicis', 1764.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gfrxbgsj>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



62472/3

~~St. J. 6~~
~~6~~

B. 2

M
a 59

* Medical Society of London. *

* No. 36 *

* I. E VERY member who sends for a book,
* is to write down the title on a slip of
* paper, to sign his name thereto, date it, and
* direct it to, "The Librarian of the MEDICAL
* SOCIETY of LONDON."

* II. No member is allowed to have more, than
* two volumes at a time, in his possession.

* III. The library is open every day ~~in the~~ *Monday*
of Friday week (~~Saturdays and Sundays excepted~~) from
* ten in the morning till eleven, when all books
* are to be sent for and returned to the library ;
* and none to be given out, or received, before
* or after those hours.

* IV. The utmost time for a member detaining
* a book is, one week for a pamphlet or duode-
* cimo ; two weeks for an octavo ; three weeks
* for a quarto ; and four weeks for a folio ;
* after which period to be liable to a penalty of
* one shilling *per week*, as long as he shall de-
* tain such book.

* V. No manuscript is allowed to be taken
* out of the library.

* VI. All books are to be returned to the li-
* brary in the third week of every December,
* that the *Librarian elect* may see whether any be
* wanting before he enters into his office on the
* first of January ; every person neglecting to re-
* turn such book, or books, before the twenty-
* fifth day of December, is to forfeit five shillings
* for every volume so detained.

* VII. All new publications are to remain in
* the library, for the space of one month.

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON





ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GARTHSHORE, M.







D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

P A P A V E R I S U s u,

tam noxio, quam salutari, in
Parturientibus, ac Puerperis.

ADIGNE QMATEM
GELAEG D U A M I
S C O
U a U a F a G V a g h S
ni jahid a nno e i m m
s i c h o n i c s o d l u f t

12.

w4

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PAPAVERIS USU,
tam noxia, quam salutari, in
Parturientibus, ac Puerperis :

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,**Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MAXWELL GARTHSHORE,
BRITANNUS.

Ad diem 8 Maii, hora locoque solitis.

*Parce, precor, gravidis facilis Lucina puellis;
Maturumque utero molliter aufer onus.* OVID.

SOCIETY OF LONGMONT

EDINBURGI:

TYPIS ACADEMICIS.

M,DCC,LXIV.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3052040x>

VIRO ORNATISSIMO,
GEORGIO BAKER,
COLLEGII REGII MEDICORUM LONDINENSIS
ET
COLLEGII REGALIS APUD CANTABRIGIENSES
SOCIO;
NEC NON
REGIAE SOCIETATIS SODALI,
MEDICOQUE REGINAE
MAGNAE BRITANNIAE
AD FAMILIAM,
MAXWELL GARTHSHORE

S.

CUM mecum animo cogitarem, ad cuius
Patrocinium confugeret Opuscu-
lum nostrum; Tu, Vir eruditissime, prae cae-
teris potissimum dignus visus es, Cui hasce
studiorum primitias, tanquam exiguum ali-
quod summi amoris animique gratissimi pig-
nus, lubens dicarem: Neque ob id solum,

A quod

quod in literis et in rei medicae peritia, communi hominum consensu, locum praeclarum teneas, et ab omnibus plurimum merito celebreris ; verum etiam praecipue, quod me, olim in viciniam Tuam forte fortuna conjectum, constanti benignitate complexus fueris, et sive negotiis occupatus, sive curis solutus, in amicitiam Tuam interiorem admiseris, mihi certe, et utilem admodum et honorificam. Quam suaviter Tecum, omnibus horis locisque, versatus sim, quamque feliciter in confortio Tuo vixerim, dum communibus Amicis, multum colendis, simul interfuius, haud facile esset enarrare. Dies vero cum iis ita peractos dum in memoriam laetus revoco, fieri nequit, ut eorum obliviscar, quorum humanitate hi ipsi dies tam jucunde Nobis arriserunt. Ab iis vero cum jam fortuna mea me longius abstrahat, suavissimam tamen benevolentiae eorum

rum recordationem in praecordiis fovere, testimonio hoc publico lubens, atque ex animo, profiteor: Eorum—————

—————*nec me meminisse pigebit,*
Dum memor ipse mei.


Adeoque, grati animi nostri, erga eos, affectionatum, lubentius apud Te confiteor, ut qui sciam, Te iisdem in eos caritatis vinculis teneri, eosque simili mecum observantia prosequi.

Tu vero perge, Rem Medicam Ingenio colere, Scriptis illustrare, et Facundia ornare. Vale.

Dabam Edinburgi,

Idibus Aprilis

1764.



DISSERTATIO MEDICA

D E

*Papaveris usu, tam noxio, quam
salutari, in Parturientibus,
ac Puerperis.*

PROOEIUM.

SI quis mihi vitio vertendum putaverit, quod Scriptorum numerum adaugeam, qui eandem hanc materiam, plurimo quidem cum labore, at fructu perexiguo, tractarunt ; is profecto, de inculto hocce ac rudi opusculo, judicium inique feret. Neque enim aliqua gloriolae aucupatio me ad scribendum impulit ; neque, novum aliquod me proposituram, quod eruditorum oculis arrideret, sperare audebam. Sed, quoniam Academiae florentissimae institutis obtemperandum erat, de iis potissimum rebus, quae

A

quasi

quasi prae manibus sunt, et quarum in usu fere quotidiano versatus sum, differere, maxime mihi fore opportunum judicavi.

ITaque ea quae alii, alioqui perillustres viri, de hoc argumento, subtiliter magis quam philosophice disputatione, intacta, atque sicco pede, praetereo. Neque, quae scriptores de historia naturali, vel de analysi hujus medicamenti chemica, tradiderunt, omnia retractare, decrevi. Industriam hominum laudo: Parum profecisse doleo. Naturam et Experientiam, duces fidissimas, sequi malim.

Quibus vero modis, procul occultis, sibiique propriis, omnino operetur hocce medicamentum; nisi quatenus experimentis observasse concedatur, me nescire profiteri satius putavi, quam, in iis quae scire non datur investigandis, oleum atque operam perdere, et minari quidem magna, nihil autem in lucem proferre.

HAEC

HAEC autem propositi nostri erit ratio. Primum, ut inquiram, quaenam sit natura, quinam effectus Papaveris generales. Deinde, quae, in corpore muliebri, dum in angustiis puerperii versatur, maxime sint observatu digna, leviter perstringam. Inde autem commonstrem, quis sit usus Papaveris legitimus, et quibus utendum cautelis, in morbis parturientium leniendis. Postea, ulteriores feminei habitus mutationes, quaecunque post partum fiunt, ostendam, et quibus potissimum malis puerperarum corpora obnoxia esse soleant. Tum denique, quid auxilii ex Papaveris usu, et quid noxae, in hisce casibus, exspectandum sit, paucis exponam.

PRIMO inquirendum fuit, quinam essent Papaveris effectus generaliores, quantum observationes, et experimenta, ex animalium corporibus desumpta, nos de hac re docuerint.

4 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS.

DE PAPAVERIS SUCCI EFFECTIBUS.

Vix necesse est ut praemittam, quod effectus Opii, pro doseos ratione, exhibitionis tempestivitate, aegrique conditione, sint multifarii ac diversi. Et forsitan etiam rectius faciliusque de ejus viribus in corpore humano ratiocinaremur, si ejusdem virtutes esse, compositam stimulantum sedantiumque quasi misturam, uno intuitu conspiceremus.

PAPAVERIS succus, debita portione adhibitus, effectus plerumque sequentes edit. Dolores corporis et mentis demulcet. Motum sanguinis primo concitat, et calorem promovet *. Animum hilarem vel saltem tranquillum reddit. Corpus, laboribus gravatum, reficit et recreat. Spasmos compescit.

* Haller. Mem. sur les part. sens. tom. iv. p. 128.
Clariss. Cullen. praelect. de Opio.
Tralles de opii usu, § 1. exp. iii.
Ex exp. a meipso instit.

compescit. Solida, sensationi et motui ut minus apta sint, a causa vel externa vel interna efficit. Eorum fibras relaxat, et vires motui animali famulantes debilitat. Somnum, ut plurimum, inducit. Perspirationem semper promovet, saepè sudorem. Humores serofos, et pene omnes humores secretos, incrassat. Omnes alias evacuationes, nisi quae a debilitate partium oriantur, faltem per aliquod tempus, cohibet. Motum humorum per vasa lateralia minora, quemadmodum somnus profundus, lentiorum reddit. Unde fortasse plethorae symptomata, et cutis rubedo.

MINUS constantes ejus effectus sunt,
VIGILIAS et deliria, vel soporem, somniis nunc gratis nunc terrificis, inducere. Vigorem et fortitudinem animi, cum sensu quodam, circa praecordia jucundissimo, assuetis praesertim, promovere. In quibusdam etiam morositatem, irascibilitatem, et cholera, arcessere. Motus convulsivos, in nonnullis, plethoricis praecipue, a peculiari idiosyncrasia, videtur aliquando concitare.

6 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS.

tare*. Novimus enim, quosdam, ab laud. liquid. assumpto, vomitu semper affici.

AD MODUM incerta est ejus topica operatio; nisi fortasse nervis pene nudis occurrat, et, ut in dente carioso, applicetur. In forma solida, cuticulae impositus, videtur plerumque parum agere†. Dicitur discutere, resolvere, emollire; et oculis, auribusque, periculosam insensibilitatem inducere ‡. Solutiones ejus, ubi corporis superficie illinuntur, eosdem pene effectus, at magis incertos, et in minore gradu, habent, quam interne sumptae || ,

EJUS operationem comitantur, pulsus, et respiratio plenior, saepe citatior **; et omnia plethorae

* Young on Opium, p. 80.—112.

† Alston, Med. Ess. vol. v. art. xx.

Et ex exp. in meipsum instit.

‡ Alston, ut supra.

|| Whytt. Review of Contr. on Irrit. p. 91. exp. Doct. Monro jun.

Et ab experimentis à meipso institutis.

** Tralles de opii usu, § 1. exp. 1. et 4.

DE PAPAVERIS EFFECTIBUS. 7

thorae symptomata, circa caput praeципue*. Rubedo, mitis calor cutis, praefertim faciei. Oris siccitas. In capite sensus quidam plenitudinis; vel insensilitas. Appetitus deletio; concoctionis in ventriculo, et excretionis alvi, et urinae, tarditas. Expectoratio suppressa. Spasmorum solutio, et affectuum paralyticorum incrementum.

Si ventriculo repleto exhibeatur, nausea à principio ingruit; et perstat, donec cum ingestis evomatur opium: Et, quando acris materia, ab ejus usu, in primis viis supprimitur, summa aegritudo et inquietudo, usque ad materiae inimicae, adjuvante natura vel arte, ejectionem.

CESSANTE narcotici operatione, haec, ut plurimum, subsequuntur.

DOLORES, quos sedaverat, recidivi. Vertigo; et sensus constrictioñis circa pectus. Tristitia, et spirituum defectus. Nausea, cibi fastidium, et saepe vomitus. Sanguinis circulatio languida. Sudor, et cutis pruritus.

NON NUNQUAM,

* Tralles, § 1. exp. 5.

8 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS.

NONNUNQUAM, artuum inferiorum torpor.
Mictio frequens, et alvi solutio *.

NIMIAM Opii dosin sequuntur, temulentia et
mentis alienatio. Memoriae defectus. Artuum
et maxillarum debilitas et relaxatio. Facies
rubescens, et labia intumescentia. Corneae ocu-
lorum laxitas, et pupillae dilatatio. Sopor cum
somniis turbulentis et crebris subsultibus. Pulsus
magnus, tardus †, et in deploratis, inaequalis.
Spirandi difficultas. Ventriculi ardor, nonnun-
quam gravitas, aegritudo. Oestrus venereus,
praesertim assuetis. Cutis calor et pruritus.
Singultus. Apoplexia. Convulsiones ‡. Su-
dores frigidi. Mors.

Quae quidem symptomata, alios alia, plus mi-
nusve, pro vario corporis habitu, et Opii dosi di-
versa, infestant. Qui non percunt, liberantur, ut
plurimum,

* Wedel. Geoffr. Jones. ————— Ex propria expe-
rientia.

† Ex observ. Alston, Kaau Boerhaave, et Whytt.

‡ Tralles, § 1. exp. x.

DE PAPAVERIS EFFECTIBUS. 9

plurimum, sudoribus copiosis, cum magno cutis pruritu; vel uberrimo alvi profluvio. Et periculosis aegrotant, quibus ventriculus debilis, et cutis laxior est; et furiosi facilius mortem evadunt, quam comatosi.

ALLEVANTUR, post sanguinis detractionem, vomitum, et catharsin, vesicatoriis, et, ut aliqui dicunt, acidis et neutralibus.

DIUTURNUS et immodicus ejus usus efficit partium omnium relaxationem et debilitatem; languorem, laboris fugam, corpus torpidum, animal hebetem, nisi tempore quo Opium recenter devoratum ventriculus digerit; nullam ad cibos appetentiam, difficilem et tardam concoctionem; artuum tremorem, motuum et sensuum imminutionem; et in venerem propensionem.

QUI, post illius usum immoderatum, ab eo de- repente abstinent, haec signa eos comitantur plus minusve, pro corporis natura.

B

SUMMA

* Tralles, § 1. exp. x.

10 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS.

SUMMA anxietas, languor et spirituum defestus; quae quidem mala non tollenda sunt, nisi aeger vel ad Opii usum denuo redeat, vel spirituosa assumat, minime vi Opii comparanda.

PRAECIPUIS Opii effectibus recensitis; ordine sequitur ut de ejus operandi ratione agamus.

THEORIA omni seposita, in ea solummodo animalium advertamus, quae experimenta, in brutorum corporibus, accurate facta, de hac re ostendunt.

DE PAPAVERIS SUCCI ACTIONE IN ANIMALIUM CORPORA.

OPIUM animalium brutorum corpora, duplī modo, afficere, multis experimentis comprobatur.

¶ PRIMO, et praecipue, in eos nervos, quibus immediate applicatur, agendo; et alios deinde nervos

nervos qui cum his consentiunt, et denique totum genus nervosum, per nervorum sympathiam, in perpessionis consensum trahendo.

¶ SECUNDO, per absorptionem, commixtraiam, et devectionem cum sanguinis massa, in nervos systematis circumferentis, ministerium suum peragendo.

γ PRIORI modo, Opium munus suum peregisse, complures hactenus existimarunt * : Clarissimus vero Naturae interpres, ingeniosus WHYTT, eam rem totam, ut nullus antea, dilucide explicavit †. Is enim aperte commonstravit, Opii solutionem, ventriculo intestinisque ranarum, quibus exsticatum cor, applicatam, sensibilitatem, et vim motricem, aequo cito, ac in illis quarum cor intactum, per effectus suos singulares delevisse ‡.

§ OPIUM

* Jones. Mead. Alston. Kaau Boerh.

† Whytt. vital. & invol. mot. ed. 1. p. 37.

‡ Whytt. Lit. Est. vol. 1. art. xx. exp. 1. cum 2. collat. p. 303. § c.

¶ OPIUM agere potissimum in cerebrum, totumque sistema nervosum, evincitur experimentis, de corporibus ranarum factis, quarum cerebrum et medulla spinalis prius destruebatur : In his enim Opium, musculis abdominalibus applicatum, ad motum cordis imminuendum, quam si hae partes integrae fuissent, multo lentius conferebat *.

¶ QUIDAM vero, qui praecipuos Opii effectus, viribus ejus, in nervos agentibus, adscripserant, nonnullas etiam virtutes, per absorptiones in sanguinis massam exseri posse existimarunt † : At vero ex nonnullis a clar. MONRO filio, de Opii effectibus, in ranarum corporibus observatis ‡, et summa cum humanitate mecum communicatis, apparet, eum multis comperisse experimentis, quod effectus Opii per absorptionem in venas, *in illis,*

* Whytt. Phys. & Lit. Ess. confer. exp. 6. cum 7. et
exp. 7. cum. 5.

† Whytt. Phys. Ess. vol. I. art. xx. exp. 7. cum 9.
collat. p. 303, 304. § e.

‡ Ex experimentis, quorum descriptio Societ. Philos.
Edin. anno 1761. praelecta.

illis, multo majoris sint momenti, quam a quibus-dam vulgo computaretur.

¶ **U**NDE probabile ei videretur, quod, licet actio prior, immediata, et praecipua, sit in nervos, qui-bus Opium applicatur; actionis tamen incremen-tum et continuatio, a tali absorptione, et ab o-peratione quae in nervos systematis vasculosi sub-sequitur, magna ex parte, aliquando pendeat.

¶ **O**PIUM vero, sanguini commistum, tali modo agere posse, ab Auctore * clar. confirmari vi-detur; ubi haec fere refert, “Quoniam opera-tio Opii, sanguini per injectionem in venas commisti †, sit eadem propemodum, ac si quando ventriculo, intestinis, vel abdominis cavitati adhibeatur; hinc probabile redditur, tales effectus peculiari modo produci, ex eo quod fines extremi nervorum, per internam cordis totiusque systematis vasculosi super-ficiem

* Whytt. Phys. & Lit. Ed. vol. 1. p. 303. § e.

† Alston, Med. Ed. vol. 5. part. i. art. xii.

Whytt. Phys. & Lit. Ed. exp. 24.

“ ficiem reptantium, afficiuntur; et fortasse ex operatione immediata in medullam cerebri *”. Heic vero, an Opium hanc pertingat, anceps haereo.

¶ **QUATENUS** itaque experimentis judicare concedatur; Opium aut in nervorum extremitates quibus prius applicatur, ministerio suo defungitur; et ex eo, celeriores et insigniores ejus effectus plerumque conciliat †: Aut per venas absorbentes in sanguinem devehitur; ubi, sub forma quamvis dilutissima, vires suas exserit, et fines extremos nervorum cordis, totiusque systematis vasculosi, afficere videtur.

* **UNDE** etiam sequeretur, quod, utroque modo, effectus ejus eo maiores minoresve forent, quo major minorve sit sensibilitas, absorbentiumque

* Whytt. Phys. & Lit. Eff. vol. 1. exp. 7. cum exp. 9. collat.

† Whytt. Phys. & Lit. Eff. § c, d, f.

que numerus, quibus potitur ea corporis pars, cui Opium prius adhibetur,

λ ΟΡΙΟΝ, ex actione sua in nervorum extremitates, per horum nexum consensumque cum cerebro et medulla spinali, vires eas, quibus muscularum fibrae motui sensationique fiunt idoneae, per totum systema nervosum, interpellit, obruitque* : Idque, potentiae hujus nervosae appulsum intercipiendo, ac vim siniul nerveam, fibris muscularisque insitam, inertem reddendo. Nam Opium, cordi adhibitum, nexibus omnibus cum origine nervorum solutis ac deletis, ejus motum debilitat et pessundat †. Et notum est, Opio ranarum muscularis abdominalibus aut visceribus applicato, cordis motum, citius quam decollatione, et medullae spinalis extirpatione, destrui et absolvi ‡.

μ ATQUE

* Whytt. Phys. & Lit. Ess. exp. 4. et 5. cum 8. et 10. collat.

Haller Mem. sur les part. sens. tom. I. p. 237. & 339.

† Whytt. exp. 14, 15, 16, 17, 18, 19.

‡ Whytt. exp. 4. et 5. cum 10. collat.

16 DE PAPAVERIS ACTIONE.

¶ ATQUE hinc, fibrarum vim motricem, aequa
ac sensibilitatem, per Opium infringi, videtur pro-
bari.

¶ COR etiam ipsum, per actionem Opii, tanto
minus quam caeteri musculi, ideo pati videtur,
quod naturae sit mobilioris, et, ex munere suo,
magis irritationi opportunum *.

ξ OPIUM effectus suos non ex eo generare vi-
detur, quod somnum inferat. Nam alioqui et do-
lores levat, et multas mutationes in oeconomia a-
nimali, sine somni interventu, inducit : Quinetiam
motus vitales inhibet, qui opprimente somno vi-
gore pollent ; et mobilitatem cordis, e corpore ex-
fecti, cito aufert. Somnus itaque ab Opio conci-
liatur,

* Ex obs. Kaau Boerh. et Alston.

Whytt. Phys. & Lit. Ess. exp. 4. et 5. cum 3. 6. 8. &
10. collat. Et N° 14, 15, 16, cum 17, 18, 19, 20.

Ejusd. exp. 22.

Review of the Contr. on irrit p. 83, 86, 87.

Ejusd. p. 79. Exp. Doctor, Monro, jun.

liatur, ex eo quod totius systematis nervosi sensilitas, viribus ejusdem, prius imminuitur.

• SENSIBILITATIS imminutioni, tribui debent Opii effectus, in evacuationibus nimis, quae ex irritatione pendent, coercendis; vel, in evacuationibus impeditis, quae a spasmo et constrictione pendent, solvendis.

π ANIMALIUM mors, quae Opium ingefferunt, ab eadem causa derivari videtur; nimirum, quod organa eorum, sensibilitate privata, fatiscunt, adeo ut stimulus naturales non amplius sentiant: Unde non modo motus naturales et animales, sed tandem etiam vitales, cessant*. Has veritates, ab experimentis deductas, quasi certas et exploratas, hucusque infecuti sumus: Nec de hac res nunc ulterius differendum.

C

D E

* Alst. Med. Ess. vol. v. art. xii. Exp. Kaau Boerh. impet. fac. Hipp. dict. p. 402, 403. Whytt. exp. 5. cum 3. 6. 10. collat.

DE PAPAVERIS USU, IN PARTURIEN-
TIUM MORBIS.

IN priori parte, succi Papaveris naturam genera-
ralem, et effectus, depingere conati sumus: Con-
siderantibus deinceps obvenit, usus ejus legitimus,
in summo parturientium labore et periculo; cum
prius, quicquid sit observatu dignum, in habitu
foemineo, sub hac aerumnarum periodo, notave-
rimus.

ET, quamvis hujus opusculi limites non finunt,
ut in Opii viribus, quatenus gravidarum morbis
conveniat, immoremur; eamen attamen affir-
mare licet, quod, in plerisque gravidarum mor-
bis, ab irritatione ortis, et abortum minitantibus,
Opium non solum multum profuturum sit, sed e-
tiam non, sine matris vel embryonis noxa, tuto o-
mitti potuerit. Et hujus, praeter amplissimum
testimonium Scriptorum medicinae et artis obste-
triciae

triciae pene omnium, ipse sum expertus; cuius insigne, in historia infra scripta, habetur documentum.

MULIER primipara, habitus delicatioris, per inensem graviditatis septimum, inflammatione intestinorum periculosissima corripiebatur; unde, inflammatione jam fugata, summa debilitas: Et spasmis, pene convulsiones aemulantibus, vomitibus, doloribusque saevissimis, obnoxia reddebat, qui, spatio bimestri graviditatis supremo, miseram torquere non cessabant.

Ex consilio binorum Medicorum, Opium, dosi symptomatum viribus adaequata, saepe et pertinaciter adhibui. Et, quanquam per octonas ultimas graviditatis septimanas, usus anodynorum, ad quietem et somnum conciliandum, indies efflagitabatur; aegra tamen nihil inde mali, nisi quod alvo adstrictiore laboraret, patiebatur.

TANDEM, repletis mensibus, partum periculofum sustinuit, puerum vegetum peperit, sanitatem recuperavit,

recuperavit, et, puerperio peracto, ab omni pene
usu opiatorum abstinere potuit.

SED, ut ad rem redeam; primo, notatu dignum
est, foeminas plerasque uterus gerentes, tam
per extremos graviditatis menses, quam metas a
Natura puerperio praescriptas attingentes, viscida
sanguinis diathesi et plethora laborare, alvum ob-
stipatam perpeti, urinam cum difficultate reddere,
variisque ventriculi et intestinorum affectibus, ex
coctione prava, flatu, acrimonia, et spasmo, pro-
venientibus, saepiuscule vexari.

H_i vero omnes, in gravidarum corporibus,
affectus, querelarum origines, ab hisce causis for-
tasse exoriuntur; a sanguinis remora in vasibus ute-
rinis, varicosis factis, propter eorum laterum, a
mole foetus, compressionem; a mensium defectu;
a stimulis, ob matricis extensionem patescentis,
turbatumque viscerum circumpositorum situm et
actionem: Nonnulli etiam, a mutata sanguinis dis-
tributione et copia; a chylopoiesi, ob infantis
motum et gravedinem, depravata; et a vita matris,

lier nutrimenti fatis assumat; Opii usus, ad dolores resuscitandos, ab eventu expertorum, vix aptus videtur*.

VII. IN HAEMORRHAGIIS UTERINIS ANTE PARTUM.

IN omnibus uteri haemorrhagiis, prope finem graviditatis obortis, dum os tincae adhuc rigidum et crassum est †, ante dolorum accessionem, ubi illi non satis acuti, vel anomali, aut ubi jam cessaverint; ubi parturientis animus aliquo irritamento turbatur, vel terrore repentino opprimitur; dum sanguinis dispendium non usque ad extremum vitae periculum augetur; ubi vasa non valde replentur, et praecipue ubi profluvium languori et nervosae debilitati debetur‡: Dum res ita se habent,

* Giffard, cas. 71. 160.

† Giffard. cas. 85, 116, 118, 153, 154, 160.

Chapman, cas. 31.

Smellie, vol. ii. p. 204. cas. 2. p. 210. cas. 5.

‡ Young on Opium, p. 79.

36 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

bent, Opii ea portio, quam symptomatum ratio
viriumque aegrae depositit, spiritu vitrioli, vel
tinct. antiphtys. Boyleana juncta, ciboque idoneo,
pluribus in casibus, utilissimum fore invenietur
remedium. Usu etenim ejus, spasmi relaxantur,
spirituum orgasmus generalis compescitur, omnis
languoris oppressionisque sensus allevatur, irri-
tatio uterina demulcetur, perturbatio omnis cohi-
betur, sanguinis profluviū pro tempore coer-
cetur, aut saltem melius sustinetur. Attamen in
plerisque haemorrhagiis uterinis, Opium, qua
palliativum, usurpari tantum debet; at raro vel
nunquam curationem perfectam absolvere potest:
Nam pro tempore tantum, fluxus, ejus usu, ple-
rumque supprimitur, majore vi postea recursu-
rus*. Nam qui id maxime in deliciis habent, et,
in casibus periculosissimis, minutis portionibus ac
repetitis vicibus exhibent; tantum, ut pericula
declinent, donec restringentia et corroborantia
opus suum peragant, vel uterus fese evacuet,

huic

* Young on Opium, p. 175.

triciae pene omnium, ipse sum expertus; cuius insigne, in historia infra scripta, habetur documentum.

MULIER primipara, habitus delicatioris, per mensem graviditatis septimum, inflammatione intestinorum periculofissima corripiebatur; unde, inflammatione jam fugata, summa debilitas: Et spasmis, pene convulsiones aemulantibus, vomitus, doloribusque saevissimis, obnoxia reddebatur, qui, spatio bimestri graviditatis supremo, miseram torquere non cessabant.

Ex consilio binorum Medicorum, Opium, dosi symptomatum viribus adaequata, saepe et pertinaciter adhibui. Et, quanquam per octonas ultimas graviditatis septimanas, usus anodynorum, ad quietem et somnum conciliandum, indies efflagitabatur; aegra tamen nihil inde mali, nisi quod alvo adstrictiore laboraret, patiebatur.

TANDEM, repletis mensibus, partum periculsum sustinuit, puerum vegetum peperit, sanitatem recuperavit,

20 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

recuperavit, et, puerperio peracto, ab omni pen-
usu opiatorum abstinere potuit.

SED, ut ad rem redeam; primo, notatu dignum
est, foeminas plerasque in utero gerentes, tam
per extremos graviditatis menses, quam metas a
Natura puerperio praescriptas attingentes, viscida
sanguinis diathesi et plethora laborare, alvum ob-
stipatam perpeti, urinam cum difficultate reddere,
variisque ventriculi et intestinorum affectibus,
ex coctione prava, flatu, acrimonia, et spasmo,
provenientibus, saepiuscule vexari.

HAE vero omnes querelae hisce de causis for-
tasse exoriuntur: Obstructione sanguinis circum-
fluentis, obicibus, per molem foetus, et statum
uteri impregnati, partim occlusis; mensium de-
fectu; matricis patescentis extensione, stimulis
exinde, turbatoque viscerum circumpositorum si-
tu et actione. Nonnullae etiam e mutata sanguini-
nis distributione et copia; chylopoiesi, infantis
motu et gravedine, depravata; et vita matris,

ex onere, sedentaria, Quae quidem omnes, in habitu foemineo laxiore et mobiliore, malos hosce affectus procreare facile queant.

His ita positis, cum parturitionis hora appropinquaverit, ita ut uterus, vi extensili ovi, se ulterius dilatare nequeat; aut ejus latera, a laceratione, et inde irritatione, nervorum oris tincae, involuntariis conatibus sese contrahere cogantur, ut caufam expellant; tum corpus foemineum, tenurum et debile, doloribus correptum, aerumnas suas patitur: Hinc pulsus citior, vultus rubefcens, ventriculus nausea laborans, cutis calefcens, et saepe sudans; animus, dolore ingruente et futuri metu, perterritus. Pro accessione harum uti-ri contractionum, quae dolorum causae existite-runt, misella naturae opitulari, inspiratione plenissima, cogitur, abdominis muscularum et dia-phragmatis summis viribus, aucta; quo tempore, sanguini, per pulmones transeunti, impedimen-tum opponitur; totumque sistema vasculosum,

22 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

et vasorum majorum ascendentium rami, maxime distenduntur.

His rite perspectis, appareat, quod, ingruente partu, vasa legitima sanguinis missione deplere, et alvum clysmatis emollientibus ciere, plerumque tutum sit, atque utile; at potissimum foeminis plethoricis, quarum dolores sunt vehementes: Aut saltem, quod Opium nunquam hisce corporibus, quamquam flagitari videatur, nisi vas prius depletis, exhiberi debeat.

ATTAMEN, hoc loco, notari velim, me non hanc normam ponere, quasi generalem. Nam, ad exemplum virorum in hac arte facile principum, existimo, ubicunque Natura operi suo par sit, Optimum esse remedium, ab omni remedio abstinere.

Si vero symptomata, gravia ac periculosa, id deposcunt, ad salutiferum Opii auxilium, procul dubio, confugiendum est,

IMPRIMIS

IMPRIMIS vero praemittatur, quod hujus medicamenti effectus, in parturientum querelas, adeo sint incerti, aut ob idiosyncrasiam, habitusque foeminei statum mobilem, aut ob causam aliquam ignotam, ut vix fieri possit, quin nihil fere certi, de hujus usu, praedicare liceat.

MULTIPLEX enim me docuit experientia, quod Opium, etiamsi larga manu exhibitum, in eis morbis, ubi magnum aliquod levamenti Medicus inde speraverit, aliquando non solum nihil agat, sed etiam deliria, ventriculi intestinorumque dolores, aliosque spasmos irregulares, in plethorica praecipue, ingruentes, inducat. Proxime vero, quibus in parturientum casibus, Opium prodeesse videatur, memorare conabor.

I. IN DOLORIBUS SPURIIS.

PRIMO medicamentum hocce proderit, in eis doloribus, anomalis, falsis, tergiversantibus, quibus

bus mulieres, per ultimas graviditatis hebdomadas, obnoxiae sunt ; qui lumborum, regionisque hypogastricae, limitibus definiuntur; quique, licet, ad oris uterini dilatationem, nullius sint momenti, fallaces attamen, pro veris parturitionis doloribus, ementiuntur ; et contrectationibus intempestivis, cardiacis calidis, posituris parum idoneis, aliiisque quae nimis officiosa adstantium sedulitas incassum tentare solet, exasperantur *.

FOEMINAE autem hisce parum efficacibus, magis quam veris doloribus, fatigantur. Hi vero dolores falsi, sanguinis missione, eccoproticis, carminativis, clysmatis emollientibus, quiete et anodynisi, sedari confueverunt †.

HAECCE curandi methodus ex aequo conveniet, siue dolores ab irritis in utero conatibus, siue ex flatu, acrimonia, aut irritatione aliqua, spasmum

* Manningh. aphor. p. 30. Chapman's Midwif. p. 73.

† Mead. Monita Med. § 5. Deventer. ars obstetr. ch. 50.

spasmodum intestinorum aliarumve partium concitantibus, originem duxerint*. Et hujus praxeos utilitatem, primo, sequentibus disertis verbis, aperite descripsit olim **SYLVIVS**: “Aliquando, at “non semper, posse convenientibus (*remediis*) “sistit premature parturientium dolores, et ita “quidem, ut, illis sublatis, cesset simul pariendi “conatus, donec tandem, ordinario ac vere natu-“rali tempore, iisdem redeuntibus, felix continua-“gat partus” †.

II. IN PARTURITIONE PRAECIPITATA.

Ubi parturitionem praematuram, vomitus enormous, tussis ferox ‡, diarrhoea, dysenteria||, tenesmus, calculusve dolorificus, interminantur **; nihil obstat, quin, primis viis prius emundatis, et vasis evacuatis, si opus fuerit, exhib-

D beatur

* Vid. Slevogtius de dolor. partus spuriis cum veris col-
latis. Vid. N° iv. p. 39. hujus opuscul.

Tralles de Opii usu, § 4. p. 108.

[†] Deleboe Praxis Med. lib. iii. § 88.

[†] Mauriceau des Accouchem. vol. i. p. 123.

|| Eiusd. p. 153.

** *Sylv. Deleb. Prax. Med. lib. iii. § 127. 128.*

133. Mauric. vol. i. p. 135.

26 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

beatur Opium, sive ori admissum, sive sub forma enematum, sive externe appositum, ea copia quae vi symptomatum par et accommodata sit: Nec ullam aliam opem, perfaepe, in talibus angustiis, afferri posse constat *.

III. IN PARTURITIONE INTERRUPTA.

Post dolorum parturientium accessionem, dum uteri os dilatatur, aquarumque progressio promovetur, et omnia felicem partum promittere videntur; si foemina mentis attonitu, terrore, vel moerore, percellitur; vel si, aliis de causis, cessant, aut lenti et inefficaces fiunt, dolores; praecipue, si moestam extrema animi desperatio mulierem corripuit †: His sub conditionibus, Opii qualitas exhilarans, in doloris solatium, animique oblectamentum, omnibus per pulchre jamdudum innotuit, apertoque SYLVII suffragio comprobatur ‡.

“ SI

* Guillimeau's happy deliv. ch. 16. p. 64. La Mothe observ. 48. p. 80. Id. observ. 133.

† Tralles de Opii usu, § 10. p. 112.

‡ Deleb. Prax. Med. lib. iii. § 115. 128.

" Si animus conturbetur, si venam secare am-
 " plius non liceat, medicamentum ipsi praescri-
 " batur, et blande aromaticum et simul **OPIA-**
 " **TUM**, cuius ope ad tranquillitatem redigantur
 " agitati spiritus, temperetur excitata inde acrimo-
 " nia, sedenturque dolores, partum mentientes aut
 " comitantes: Sic enim, si falsi fuerint dolores
 " isti, brevi sedabuntur, et tollentur partus cona-
 " tus: Sin veri, et partum instantem testantes,
 " promovebitur idem feliciter, quod imprimis
 " optandum, in casu tam dubio et ancipiti."

SYLVII verbis ideo praesertim utor, quoniam
 ille, quantum scio, usum Opii, in hisce casibus,
 primus commendaverit. Inter artis obstetriciae ta-
 men Scriptores, usque ad DEVENTERII seculum,
 altum est, de ejus usu, silentium*: Quanquam af-
 firmat GIFFARDIUS †, hanc praxin usitatam
 fuisse, apud CHAMBERLENIUM nostrum; quod
 Is, vice medicamentorum expellentium et irri-
 tantium

* Devent. ars obstetr. ch. 50. ann. 1701.

† Cases in Midw. N° 140. Lond. 1734.

tantum Antiquorum, et multo feliori cum successu, Opium exhibebat; ut qui omnia medicamenta a Prioribus usitata, velut noxia, repudiaret. Nullum tamen, usus hujusmodi, indicium comparuit, in Operibus *Francisci Mauriceau*, quae, compluribus, Editionibus **CHAMBERLENIUS**, in sermonem vernaculum traduxit, et cum suis Amplificationibus annexis excoluit. Unde, si aliquid fidei testimonio **GIFFARDII** concedatur, Is notabilem hanc utilemque, in tractandis parturientibus, Mutationem, aequa ac Forcipum Arcanum, exiguo angustoque animo, celasse videretur. Et non incongruum esset, si crederemus, Eum primam Opium notitiam, in arte obstetricia salutarem, ex **Sylvio** deprompsisse; cui, uni ejusdem saeculi, usus hujus medicamenti practicus, praecipue, ut videtur, innotescebat.

IV. IN DOLORIBUS PARTURITIONIS ANOMALIS.

NEC NON et proderit Opium, ubi vis parturiendi naturalis doloribus anomalis impeditur; qui originem

originem trahunt ex colica*, spasmo generali, partiali, vel lumbagine; quae aegram saepe cruentat, cum infantis caput inter ossa inominata, conatibus maternis, vi depellitur. Haec symptomata, ex mala adstantium sedulitate, vel ex incauta parturientis incuria, non raro enascuntur. Nec alium tales dolores effectum conciliant, quam quod Naturae adnitenti impedimentum struant, dum vigoris dispendio, et taedio majore, sine aliquo commodo, muliebres vires exhauriunt †.

IN tali rerum statu, cautelis usitatis praeeuntibus, praecipue intestinis exoneratis, vasisque depletis, nihil tantum levaminis, quantum Opium, pollicetur; quo spasmi irregulares consipiuntur, stricturae relaxantur; ac, si somnus,

* Quando irritis conatibus, colicorumque terminum aemulis, diu parturit foemina, Opii granum unum aut alterum assumere convenit, cuius ope dolores isti, qui partum impediunt, magis quam promovent, conquiescunt, et, sublevata, rem suam strenue agit Natura.

Mead. monita med. § 5. p. 162.

† Smellie, vol. ii. p. 225. 226. 246.

30 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

nus, Naturae optimus reector, ab ejus usu non inducitur, indolentia tamen et quies, vi-
riumque redintegratio, conciliantur: Et Natura non solum a conatibus molestis, nihil adjuvantibus, liberatur; sed viribus adauctis etiam refocilata, cum dolores veri renovantur, negotio suo, par potensque, defungitur*. Ad quod confirmandum, verba clar. ROEDERERI †, dum partum difficillimum describit, adducam. “ Se optimo”, ait,
 “ cum successu ante partum, foeminae huic ve-
 “ nam secuisse, atque *Opiata*, peregrinos noxiosve
 “ in partu spasmos abdominales et uterinales com-
 “ pescientia, adeoque uterum roborantia, necnon
 “ parturientem reficientia, exhibuisse:” Horum-
 que inde usum sedulo in ejusmodi casibus commen-
 dat. Idem etiam, remedia partus lentioris e-
 numerans, ait: “ Opiata, caute ab expertis exhi-
 “ bita, egregia sunt, spasmos videlicet doloribus
 “ contrarios

* Non saltem spurios dolores Opio inhiberi, sed et vero
ros evidenter promoveri, crocoque et myrrha et borace
potentius, rectissime affirmabat Young. Trall. § 10.ch iv.

† Observ. de partu diff. cas. 25.

“ contrarios sedantia, et quiete inducta refi-
“ cientia.”*.

V. IN PARTURITIONE LENTA.

IN partibus, ob praematurum aquarum dispen-
dium, lente procedentibus, ore uteri adhuc angu-
sto rigidoque†; ubi capitis progressus, ob molem
majorem, quam quae pelvi facile conveniat, adeo
longo tempore impeditur, ut mulieris vires, labo-
re irrito, tandem consumantur; vel si adeo exi-
naniatur corpus, ut operi ulteriori suo peragendo
impar reddatur: Olim, in hisce periculis, ante DE-
VENTERII seculum, ad pellentia et calefacentia
confugere, solenne fuit; nunc, meliora docti ‡,
ad

* Roeder. elem. artis obstetr. § 331.

† Est autem illud hic alicujus momenti, quod medi-
camenti *Anodyni* vis, ut alias omnes partes constrictas,
ita etiam uterinas, laxat et aperit.

Mead. Monita Med. § 5.

‡ In omni quidem partus specie, noxia sunt superflua-
que, pellentia vulgo putata: Ast quae sanguinem agitant
irritantque,

32 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

ad nutrientia, reficientia, quietem, praecipue vero ad *Anodyna*, configimus. Sic enim aut somnus, quo ad dolores ferendos corpus reficitur, aut saltem levamen aliquod, viriumque instauratio, conciliatur *.

OPII usum, in partibus remoratis, observatio-
nes sequentes stabilire videntur: Auctores, scil.
ipſi,

irritantque, in hac nominatim angue et cane pejora sunt;
inflammationem quippe augentia, et abdominales spas-
mos facientia. Roederer. elem. obstetr. § 43. 46.

Tissot Avis au Peuple, p. 315.

* Giffard. cas. 100. 119. 140. et in 19 casib. laborio-
fis. Ould's Midw. p. 38. 120. Burton's Midw. p. 140.

Quae insequuntur de hac re, mecum communicavit
cl. GILCHRIST, amicus fide dignus, apud Dumfrisium me-
dicinam feliciter exercens. Si, inquit, ex mera debilitate,
Natura dolores satis efficaces, per se, excitare non po-
test, persaepe tamen, tertia parte medicamenti subse-
quentis singulis horis propinata, prospere cessit :

R. Opii crudi gr. i. ad gr. ii.

Castor. Russ. a scrup. i. ad drach. ff.

Aq. Cinnamom. unc. ii.

IDEM

ipſi, qui ne vel minimam Opii mentionem fecerunt, in casibus jam memoratis, uno ore, quietem et tranquillitatem suadent*; omnia pellentia et irritantia repudiant, et omnibus parturientium nixibus interdicunt; e quibus Puzos † verbis expressis haec asseveravit, “Apres un repos de quelques heures, on fait, de douleurs se ranimer et terminer heureusement le travail:” Ab omnibus pellentibus, vel dolores si cessarent refuscitantibus, cavet; mulierem quiescere, et aquarum evacuationem exspectare, jubet; qua peracta, dolores jam sponte sua reddituros pronuntiat. Quae opio

E nio

IDEM animadvertisit; Capite infantis jam aliquantulum protruſo, et tam orificio uterino, quam ossibus pelvis, ejus progressui objectis, parturiente dolorum miseriis fatigata, largam Opii portionem partum saepe maturasse: Opiumque, parturitione jam longo tempore continuata, et capite nunc propemodum expulso, majore cum successu exhiberi.

* Heist. Compend. ch. xvii. § 20 et 21.

Tiffot Avis au Peuple, p. 319.

† Traite des Accouch. p. 118. 119.

34 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

nio et ratione et experientia confirmatur. Somnus autem optabilis, levamen reficiens, si nullo alio pacto obtineri potest, annon Anodynus conciliari debet *?

Hic notatu dignum, quod, si Opii dosis modica desideratos effectus non producat, et praecipue si symptomata minus congrua sub ejus usu excitentur, id omnino omittere praestaret; et, ubi Natura mutationes tantas subitura est, non parum discriminis habet, eo liberius uti †.

VI. IN PARTURIENTIUM DOLORUM ABSENTIA.

QUAMVIS, dum partus retardatur, ex eo quod, ore uteri aperto laxoque, nulli parturienti dolores adsunt, papaverina a nonnullis laudantur ‡: Si tamen nec dolor nec inquietudo sedari, nec evacuatio ulla supprimi, postulat; si mu-

lier

* Ephem. nat. cur. dec. iii. ann. ix. obs. 152. et ann. v. obs. 54.

† Young on Opium, p. 61.

‡ Deventer. ars obstetr. ch. 50.

lier nutrimenti satis assumat ; Opii usus, ad dolores refuscitandos, ab eventu expertorum, vix aptus videtur *.

VII. IN HAEMORRHAGIIS UTERINIS ANTE PARTUM.

IN omnibus uteri haemorrhagiis, prope finem graviditatis obortis, dum os tincae adhuc rigidum et crassum est †, ante dolorum accessionem, ubi illi non satis acuti, vel anomali, aut ubi jam cessaverint; ubi parturientis animus aliquo irritamento turbatur, vel terrore repentino opprimitur ; dum sanguinis dispendium non usque ad extremum vitae periculum augetur ; ubi vasa non valde replentur, et praecipue ubi profluvium languori et nervosae debilitati debetur ‡ : Dum res ita se habent, Opii ea portio, quam symptomatum ratio viriumque

* Giffard. cas. 71. 160.

† Giffard. cas. 85, 116, 118, 153, 154, 160.

Chapman, cas. 31.

Smellie, vol. ii. p. 204. cas. 2. p. 210. cas. 5.

‡ Young on Opium, p. 79.

viriumque aegrae depositum, spiritu vitrioli, vel
tinct. antiphys. Boyleana* juncta, ciboque ido-
neo, pluribus in casibus, utilissimum fore invenie-
tur remedium. Usu etenim ejus, spasmis re-
laxantur, spirituum orgasmus generalis compesci-
tur, omnis languoris oppressionisque sensus alle-
vatur, irritatio uterina demulcetur, perturbatio
omnis cohibetur, sanguinis profluvium pro tem-
pore coercetur, aut saltem melius sustinetur. At-
tamen in plerisque haemorrhagiis uterinis, Opium,
qua palliativum, usurpari tantum debet; at raro
vel nunquam curationem perfectam absolvere po-
test: Nam pro tempore tantum, fluxus, ejus
usu, plerumque supprimitur, majore vi postea re-
cursurus †. Nam qui id maxime in deliciis ha-
bent, et, in casibus periculofissimis, minutis portio-
nibus ac repetitis vicibus exhibent; tantum, ut pe-
ricula declinent, donec restringentia et corroboran-
tia opus suum peragant, vel uterus se se evacuet,

* Ex auct. et exp. cl. Rutherford, qui instar omnium
in his casibus collaudat.

[†] Young on Opium, p. 175.

huic medicamento fidunt *. Indicationes maxime peculiares, quibus praecipue temporibus, Opium in medelam possit exhiberi, sequentibus ferc verbis a TRALLESIo describuntur. † “Quando, ob sensibilitatem et irritationem summam, dolores et spasmi sanguinem ad uterum impetuosius determinent: Aut quando, in ipso utero, stimulus quidam, vel irritamentum aliquod, sanguinem alliciens, effluxumque ejus promovens, haeret: Opium tunc utile aestimatur.” Haecque ab Auctore in hac re peritissimo ‡ confirmantur, qui scripsit, “ Omnes haemorrhagias a stimulus provenientes, vel continuatas, optime ab Opio curari.” A medico || , in re obstetricia versato, itidem docemur, Opium esse maximae utilitatis in profluviis uterinis, ubi spirituum

* Smellie, vid. vol ii. N° iii. p. 302, et vol. iii. N° ii. p. 130.

Ejusd. vol. iii. p. 138. cas. 3. p. 157. cas. 175.

† De Opii usu, § 2. de haemorrh. uterinis.

‡ Young on Opium, p. 175.

|| Giles Watts, M. D. on Slow Labours, &c. p. 74.

38 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

spirituum tranquillitatem, circulationis ordinatum fluxum, et cordis hilaritatem, promovere necesse est: Et ad ejus repetitionem, ubicunque aut corporis aut animi agitatio dolorve quivis haeret, donec quies obrepatur, hortatur. Ille quoque, ejusdem virtutis, ad vomitum, comitem hujus morbi non infrequentem, vel adstringentium effectum, sistendum, mentionem facit; et hanc sedationem maximo esse emolumento fluxibus compescendis affirmat. At, pace dixerim hujus Auctoris, ex nostra aliorumque amicorum experientia, quod nonnulla hic nobis occurrat suspirio, vomitionis spasmos, magis ad profluvium compescendum, quam proritandum, pertinere: Ut qui neverimus, einetica a quibusdam, mulieribus non gravidis, hoc consilio, propinari; vomitionemque in gravidis, quibus ventriculus tunc maxime irritabilis, nec infrequentem, nec infastam, Opiati ipsius, aliquoties repetiti, fuisse sequelam.

VIII. IN CONVULSIONIBUS PARTURIEN-
TIUM.

IN convulsionibus, aut partui praecedentibus, aut supervenientibus, Opium, propriis additamentis, saepe majoris est momenti. Quum vero hujusmodi accessiones, ex repletione, ex inanitione*, aut irritatione, forte originem ducunt; plerumque, ut videtur, ex posterioris causae complicatione cum priorum aliqua, et semper ex mobilitate et irritabilitate systematis nervosi praegressa, et perturbatione, animique dejectione, comitibus assiduis: Inde apparet, quod, vasis rite depletis, in rebus tam periculosis, Opii usus plerumque conveniat; et notum est, hominum illustrium, hoc tempore, eam esse praxin †.

IN

* Tralles de Opii usu, § 2. Dionis Midw. p. 144.

† Ex Epist. Doct. Baker a consilio clar. Med. obstetr. Londin.

Nimiae sensibilitatis et plethorae moderamen venae sectione, etiam repetita, temperantibus, emollientibus, lenioribusque

40 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

IN spasmis, a languore et exinanitione coortis, Opium, cum cibo nutrienti, optimos effectus edere, et omnia cardiaca vulgaria valde superare, testatur cl. YOUNG *. Hocque nobis frequenter observatum et praxi confirmatum; praecipue ubi pulsus languidus ac debilis eos comitatur †. In omnibus spasmis, ut quies semper indicatur ‡, ita, si non a plethora coortis, Opium plerumque utile invenietur: At, si ex stimulo, vel dolore aliquo urgente, cooriantur, tunc maxime necessarium deprehendetur Opium ||. Sed, in hoc casu,

et

lenioribusque *Anodynisi*, internis aequa ac externis, forma cataplasmatum et infusionum applicatis, tentari potest, in convulsionibus ante partum. Roeder. elem. obstetr. § 698. let. (b).

* Young on Opium, p. 79. 80. 102. Ejusd. p. 80.

† Ejusd. p. 78. Giffard. cas. 154.

‡ Animus aequa ac corpus quiescit, nisuque voluntarii, dolorum praecipitorum vim non augent.

Roeder. elem. obstetr. § 698. let. (c).

|| Vid. Smellie, vol. iii. № ii. cas. 1.

et in omnibus aliis, ubi spasmos sedare necessarium erit, si ejus utilitas perspicua fuerit, ube-
riori dosi propinandum; et, ad symptomatum palliationem, repetendum. Multorum enim lon-
ga et fida docuit observatio, quod spasmi, qui
dosi modica exasperantur, majore tolluntur *:
Et, a Natura ipsa, Opii usus, in rebus tam peri-
culosis, indicari videtur. Nam somnus plerum-
que fatigationi statim succedere observatur;
quemadmodum foeminae, cuius antea mentionem
feci †, post omnem spasmorum accessionem, sem-
per evenisse vidi.

QUAMVIS autem SYLVII meminerim, tan-
quam Auctoris, qui Anodynorum usus, in hisce
muliebribus querelis, primus aperte descripscerit;
haud tamen ignoro, quod OPIATA, a quibusdam
antiquorum, ad foetus excludendos secundi-
nasque appropriata, commemorantur. Namque

F

AETIUS,

* Young, p. 112.

† P. 19. hujus opusculi.

AETIUS, Antidotis Theriacalis virtutes enumeraens, ita loquitur : * “ Credita est *Theriaca* et “ foeminis menstruas purgationes ciere, et im-“ mortuos foetus ejicere, quos Natura, propter “ debilitatem, expellere non potest.” Item ACTUARIUS † de Theriacae Andromachi effectibus differens, “ Foeminis pota, ex rutae de-“ cocto, purgationes menstruas ciet, et partus “ mortuos expellit.” ARNOLDUS item de VILLA Nova ‡ de Theriaca, ex Lilio Pauli agens, medicamento magna portione narcoticorum confecto, “ Data post partum, cum “ decocto foenugraeci, secundinas expellere, do-“ loribusque matricis omnibus prodeesse,” dicit || . VALESCUS etiam de TARANTA ** pilulas ex aro- matis cum Opii quadragesima parte confectas, ad partus

* Tetr. iv. serm. i. ch. xcvi. p. 652.

† De med. meth. lib. v. ch. vi. p. 258. lit. (c.).

‡ Ejus opera, Basil. 1585. edit. p. 462, 463.

|| Vid. Forresti observ. vol. ii. p. 399.

** Ejus opus Philon. dict. edit. ult. Franc. 1680. lib. vi. p. 694.

partus promovendos idoneas, maxime collaudat. ANGELUSQUE SALA * Nuperior, de Antidotis
dotibus agens, inquit, “ In foeminis parturien-
“ tibus, quae, propter virium imbecillitatem,
“ foetum expellere nequeunt, hoc antidotum,
“ illas confortando, et vires excitando, excellen-
“ tes producit effectus, ut facile pariant, et eluc-
“ tentur, et quidem sine vitae praejudicio alteru-
“ trius; ejiciet etiam secundinam, propter dictam
“ causam retentam.” Haec sufficient: Nec a-
liorum, fortasse plurium opera, de hac re differen-
tium, nobis, licet breviter inquirentibus, inspexisse
contigit†.

QUUM

* De antidoto. Rothom. 1650. § 36. p. 428.

† Ad eandem rem spectant, ea quae ex scriptis
AETII (a), ACTUARII (b), et NICOL. MYREPSI (c), de
ANTIDOTO ESDRAE agentium, leguntur:

“ Ad aegre parientes mulierculas, ipsam per se,” vel
ut MYREPSUS voluit, “ vino dissolutam, ad imum ven-
“ trem illinito, et facile partus prodibit.”

(a) Tetr. iv. serm. i. c. 101. p. 658.

(b) De method. med. lib. v. cap. vi. p. 262. lit. (c).

(c) De antid. sect. i. cap. 138. p. 390. lit. (f) p. 391.
lit. (c).

44. DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

Quum vero notum sit, medicamenta haecce ex aromatis calidis, et narcoticis, confecta fuisse omnia; quumque ex praegressis appareat, talia calefactoria partum potius retardare, quam promovere: Hinc conjecturas fecisse liceat, horum effectus, si qui fuissent, ad partus secundinasque excludendos, *Narcoticis* potius quam *Calidis*, in compositione sua deberi; quorum veritatem **Sylvius**, fortasse inter primos, agnovit, et novae praxeos methodo viam patefecit.

D E

DE OPII USU IN PUEPERARUM
MORBIS.

CUM jam univerfa ea perpenderim, quae ad usum Opii, in morbis Partui Supervenientibus, pertinere videntur; de eodem, in morbis Puerarum adhibito, differere minus mihi reliquum est spatii: At de hac re parum solitus; quandoquidem vitae meae instituto potissimum conveniat, in iis, ante omnia, operam impendere, quae ad artem ipsam Obstetriciam seorsum spectant.

MULIER, foetum suum jam enixa, et corpore et animo languet: Praeter enim istos cruciatus, quos modo passa est, saepenumero fit, ut vires ejus profluvio sanguinis exhauiantur: Insuper, abdomine nuper intento, jam vero subito detumescente, cursus sanguinis arteriosi, contracto utero impeditus, qui in canalibus nuper apertis fluebat,

46 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

fluebat, magnam quandam mutationem corpori infert. Natura itaque summis viribus moliri videtur, ut novis hisce rebus sese assuefcat. Hinc lochiorum fluxus, hinc sudor tamdiu continuatus, hinc denique lactis secretio.

QUICQUID causae fuerit, seu lensor, seu aliud aliquod vitium, vel e defectu mensium graviditatis tempore, vel ex infantis nutritione, vel e vitio viscerum chylopoeticorum, sanguini inducatur; hoc saltem certum est, puerperas, quibus non fatis opitulantur solennes hae excretiones, perraro febrem fugere, aliquando autem in rebus periculosis versari.

INTER medicos autem convenit, has excretiones quiete, animi tranquillitate, et potu tepido diluto, optime promoveri: Itaque, maxime necessarium est, ut procul absit, quocunque aut corpori aut animo molestiam creaverit; diaeta tenui utendum est; curandumque praecipue, ut moderatus lecti tepor assidue servetur; mulier-
que,

que, linteis a foco calefactis involuta, in mado-
re cutis attemperato, perpetuo foveatur. Haec
autem expeditissima est ad sanitatem via.

ITIDEM notum est, quod sanguinis circuitus,
omnesque adeo e sanguine secretiones, per som-
num, magis ordine naturali procedant: Imprimis
itaque, quod foemina somno reficiatur, ad salutem
quam plurimum conferet; quantum enim somnus
aut quies turbatur, tantum virium recuperatio
interpellatur: Unde tandem investigare neceſſa-
rium, quoſque, et quibus cum cautelis, proceda-
mus oporteat, non ſolum ut, per medicamenta A-
nodynæ, ad ſomnum conciliandum conducamus,
fed aliis etiam malis gravioribus, partum ſubfe-
quentibus, obviam eamus.

I. IN MALIS PARTUM CITO SUBSEQUEN- TIBUS.

Si, itaque, mulier partu maxime fatigetur, ita
ut deliquiorum timor fit; si vasa non ſint plena,
ſi pulsus exilis et imbecillis; maxime ſi ſpasmi
accedant,

accedant, sique inquietudo urgeat: His in casibus, prudentis est medici, ad Anodyna confugere; quandoquidem illa, inter remedia cardiaca et analeptica, primum locum habent *. Insuper, his tempestive adhibitis, plurima mala, nunc praecipue minitantia, praecidiimus. Convulsiones autem apoplexiamque †, ex subita aliqua exinanitione, vel nervorum ataxia, oriri, satis patet: Mihi ipsi saepenumero evenit, ut viderem omnia spasmorum genera partum subsequi: Exemplisque plurimis confirmatur, mortem subitaneam, quo tempore nullum adstantibus visum est periculum, puerperas a partu statim oppressisse.

CASUM hujusmodi rarum detur mihi venia narrandi, quem nobis retulit Medicus, in his rebus peritus, amicissimus GILCHRIST.

MULIER quaedam, partum enixa, repentina corripiebatur praecordiorum gravitate, propter modum

* Young on Opium, p. 109.

† Sydenhami op. epist. ad Doct. Cole, ubi de apoplexia Hyster. agitur.

modum interneciva, cum spiritu pulsuque admodum celeri; vultuque moestissimo, qui mortem propinquam denunciaret, apud eum conquesta, auxilium petiit. Cui malorum concursui, Anodynū Medicus statim opposuit, repetendumque cautius admonuit. Hujus medicamenti ope, fracta est morbi vis, non tamen omnino profligata, per plurimos dies continuos recrudecens, totiesque Opio cedens. Tandem autem mulier, vix et ne vix quidem eluctata, vita quidem incolumi, at valetudine nunquam integra, fruebatur. Idem testatur se plurimas vidisse mulieres, per casus hujusmodi, morte abreptas. At vero, quoties hoc acciderit, spasmus complurium partium internarum, vasorum majorum, aut cordis ipsius, propemodum universalem, merito suspicatur; qui, nisi brevi relaxetur, ut sanguinem circumfluentem suffocaret, obstrueretque, necessario sequeretur.

MORBIS partum subsequentibus, a causis quae irritant, aut spasmos faciunt, oriundis, curatio op-

50. DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

timā et celerrima per Opium absolvitur *. Scriptores autem de re obstetricia, qui de **OPI** ne verbum quidem faciunt, alia omnia somnum suadentia commendare iidem haud dubitant: Eum felicissimi augūrii, post partum, esse affirmant; quamquam antiquiores, cum adeo pertimescendum esse, existimaverint.

II. IN HAEMORRHAGIIS UTERINIS, POST PARTUM.

QUANDO haemorrhagiae immodicae partui statim superveniunt, quae, nisi cito definiantur, admodum

* Ex epistolis D. Gordon, Glascuens. Med. in arte obstetr. perversta experientia versatiss. haec perlegi.

Opium oris tincae constrictiōnē relaxat, et prae omnibus aliis, quae adhuc comperimus, foetus exclusiōnē tempestivam, quam maxime, promovet. Somnum sudoremque partu peracto suavissime inducit, dolores subsequentes allevat, febrique ipsi, a violento corporis tumultu, per dolores saevos continuosque concitatae, moderatur. Opium denique, in plerisque Parturientium Puerparumque morbis, praestantissimum, et instar omnium, inveni medicamentum.

modum periculosae fiunt; nihil eorum quae usurpare solent, salutem certius, quam Opium, promittit *. Hujus auxilio mora aliqua datur, donec alimento leviori, et corroborantibus, curatio consummari possit. Usum Opii, in his casibus, salutarem fuisse, adeo sibi persuaferat expertiss. SMELLIUS, ut, se, quandocunque fluxum sanguinis infeceturum esse praeviderit, illi saepissime occurrere potuisse, guttis aliquot tinet. Thebaicae adhibitis, affirmet †. Nobis itidem, tam nostra quam aliorum experientia multiplici, comprobatum, quod in puerperis periculosis, ubi haemorrhagia ipso in pariendi articulo proruperit, vel etiam infante nato, partim obhaerescente adhuc Placenta, Opio statim exhibito, saepe sanguini fluenti nexa fuerit mora, adeo ut negotium omne, feliciter, et nullo malo sequente,

te,

* In haemorrhagiis, utilissimum expertus sum; gr. i. Opii cum gr. v. vitr. antim. cerat. vel scrup. i. rhei torrefact. exhibitum: Necnon et in atrocibus alvi profluviis; Lochiis autem nunquam ejus usu obsisti.

Ex epist. D. Gordon.

† Smellie, vol. iii. p. 471. cas. 2. et 3.

te, perfecerim. Medicamentum hocce plerumque etiam foret tutum, sub haemorrhagiis immodicis, quae exclusis uteri contentis non cohibentur, et, nisi febris vel inflammationis suspicio ejus usus praecideret, propinari deberet*. Quanta vero efficacia polleat, in casibus hujusmodi periculofis, ex historia patebit, quam nuper a peritiss. YOUNG, in hac Acad. Artis Obstetr. Professore, accepi.

MULIER quaedam, die postquam puerperium naturale peregerat quinto, haemorrhagia enormi subito corripiebatur, adeo ut gravissimis animi laboraret deliquiis. Sub primum morbi ingruentis impetum, L. L. 40. guttas hauſit; pannis, oxycrat. frigido madefactis, circa lumborum regiones duplicatis: Frustra vero omnia. Sanguis enim, ingravescente pertinaciter anxietate, defluere non cessa-
bat.

* Versatiss. Fordyſius, de compescendis per Opium sanguinis profluviis differens, his verbis utitur, “In haemorrhagiis enormibus atque horrendis, instar ipsius Jovis manus, centies praestasse, laetus recordor”.

bat. Pulveris styptici periclitatio exinde facta; sed nullo meliore cum successu: Haemorrhagia perpetuo perseverante, quae corporis vires adeo exhauserat, ut mortem miserae repentinam interminaretur. Tum denique Opium, ad duo circiter grana, in pilulas minutissimas confectum, aegrotanti administrabatur; idemque quarta quaque hora, repetitis vicibus, adhibitum. Vix autem de pilulis sex circiter ingefferat aegra, donec haemorrhagia dimanare cessavit: Atque mulier, fluxu denuo non recrudescente, sanitatem, licet tardius, recuperavit.

III. IN DOLORIBUS PARTUM SUBSEQUENTIBUS.

A PARTU statim non raro queruntur puerperae, de doloribus foëvis uterinis, quos, sermone vernaculo, vulgo *After Pains* appellamus. Hi dolores ab irritatione sanguinis grumosi, vel materiae alienigenae acrioris, cavum uterinum stimulantis,

mulantis, originem ducere plerumque videntur; quam causam irritantem Natura, spasmis repetitis, saepius irritis, expellere conatur*.

In hoc casu, nisi adeo gravis sit cruciatus, ut mulier quiete et somno destituatur, sudores interpellentur, Lochia sistantur, febrisque in propinquo esse videatur; nihil plerumque medico, quo dolori medeatur, agendum erit. Conveniunt hic saltem emollientia, diluentia, temperate aromatica, vel manus obstetricis blandius immissa †.

SED his incassum tentatis, et quandocunque dolores isti, e spasmis ut saepe fit periodicis, vel inaequalibus uteri contractionibus, ortum trahunt, tunc Opium plurimum valet; et ad id remedium unicum, tanquam ad sacram anchoram, est confugiendum. Quod etiam a multis cum antiquioribus ‡ tum recentioribus|| obnixe laudatur.

OPIUM

* Waldschmidt. Monita Medica. p. 256.

† Tralles de Opii usu, § 10. p. 113.

Burton's Midw. p. 338.

‡ Sylvius, Forrest. Wedelius. Angelus Sala.

|| Boerhaav. Amand. Young, Burton, Smellie.

OPIUM vero, cum aliqua res prohibeat, cur ore non affumeretur, in his, et in omnibus fere casibus, sub forma clysmatis rite infundi poterit. Certioreme fecit cl. GILCHRISTIUS, se viginti etiam grana Opii, una vice, ad hunc modum, dolore scilicet tantam vim Narcotici postulante, fauste adhibuisse.

CAUTELAE tamen, in hoc remedio administrando, aliquot necessariae. Mulieribus enim plethoricis, vel quibus pulsus celer, calor multus, alvusve adstrictior, certe nisi corpore prius exonerato, vasisque depletis, Opium raro exhiberi convenit. Si vero propinetur, nisi insequatur quies, et lochiorum sudorisque secretio liberior, protinus ab eo abstinentur erit: Et, ejus vice, evacuantia, relaxantia, diluentia, et moderate diaphoretica, aut primo tentanda, aut cum eo miscenda.

IV. IN HAEMORRHOIDUM DOLORE.

ALIUD porro malum considerandum venit, citio post partum mulieres quandoque corripiens ; in quo, licet Opium nullo modo pro remedio morbi haberí debeat, tamen, inter ea quae angorem levant, merito annumerandum : Illum dico dolorem qui Puerperam adoritur soevissimus, ex haemorrhoidibus caecis proveniens. In hoc casu, plus una vice mihi contigit, faustos effectus fotuum Anodynorum, et linimentorum emollientium ac refrigerantium, cum magna laudani portione, vidisse : Aliique etiam, non mediocres viri, eandem curandi viam ingressi sunt*.

V.

* Primerose de morbis mulier. p. 343.

Christ. J. Lang. disp. xliii. § 41. p. 585.

Des Accouchem. par Pew p. 613.

Dionis Midw. p. 277.

V. IN FEBRE DIARIA *.

ORDINE sequitur, ut de Opii usu differam, in Febre Diaria, cui Puerperae, ex aliquo, in non-naturalibus, errore levissimo, sunt valde obnoxiae: Nec hoc ei mirum videbitur, qui secum computaverit magnas et subitas evacuationes, nuper sufftentatas; sanguinis compagem solutam, rarefactio ni obnoxiam; systematis nervosi debilitatem, irritabilitatem, et cutis laxitatem. Haec Ephemera ex perspiratione obstructa, turbatis animi affectibus, regimine calidiori, facile oritur; et cum frigore vel horripilatione, capitis dolore, et aegritudine, subito ingruit: Quibus calor succedit; et, si sudor liberior obvenerit, febris plerumque judicatur. Sed, si calor cum cute sicca maneat, dum fluida sunt illibata, perspiratio recens obstructa, materies morbifica mobilis, et eliminatu proclivis; Opium, erethrismum nervorum sedando, stricturam omnem relaxando, perspirationem liberam reddendo;

H

praecipue

* Sermone vernaculo, apud Nostrates, vulgo vocatur,
The Weed.

praecipue si sit cum diluentibus exhibitum, cutimadorem salutarem propellit, quiete et somno reficiente omnia pacat, et ad naturalem ordinem revocat*. Si vero levissima suspicio inflammationis in utero inceptae, si pulsus plenus et velox, si que calor magnus; tunc, si ullo modo conveniat Opium, quod valde incertum, missio sanguinis et enemata semper praemittenda.

AT, si sudor, ex ejus usu obortus, sit viscidus, quasi pinguis, ac sine ullo aegrae levamine; si somnus turbatus, et sine refectione; et, potissimum, si lassitudo et inquietudo sequantur: Tunc effectus Opii periculosi, saepe exitiales; quod proinde, cane pejus et angue, vitandum. At vero, pro regula generali accipi debet, ejus effectus semper sub ambiguo versari, quoties, in corporibus ei infuetis, nec quietem, nec soninum inducat.

Hic

* Young on Opium, p. 67. et seq.

Smellie, vol. i. book iv. § vi.

Hic vero, distinguere necessarium erit, inter febrem jam descriptam, et inter illam, circa tertium a partu diem, frequenter ingruentem; quae aut ex ea corporis mutatione, lactis secretioni mox supervenienti necessaria, aut e disturbata lactis secretione, ortum dicit: Haec febris enim cum rigoribus praecipue, inquietudine, et saepe capitis aliarumque partium dolore invadit, et signa plethorae ostendit. Quocirca Opium, in illius curatione, raro si unquam propinari debet; nec praecipue per febris incrementum, ante statum; nec unquam, nisi vasis depletis, et primis viis evacuatis, adhibendum. Et quaecunque aliae sint causae, sive dolores, sive spasmi, praegressi aut comitantes, quae Opii usum efflagitare videantur, raro vel nunquam post accessionem, vel ante declinationem, illius febris, eum continuari, tutum erit *.

VI. IN LOCHIORUM SUPPRESSIONE.

ORDO postulat, ut exponam, quid, in lochiis suppressis, valere possit Opium. Lochiorum au-

* Vid. § vii. hujus opusculi, sub finem.

60 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

tem excretio, a nonnullis, suppurationi comparatur *; ab aliis vero, secretio morbida existimat†; et in genera multifaria distinguitur. Nobis autem, nihil aliud esse videtur, quam veri sanguinis emanatio, per vasorum uterinorum orificia, nuper patentiora, et magis magisque, pro vasorum contractione, serosa deveniens: In hunc fortasse finem, ut Naturae magnam sanguinis copiam, in gravidis, ad uterus deferentis, consuetudo paulatim deflectatur; obstruktionesque, in vasibus nunc angustioribus, praecaveantur; donec sanguinis cursus, per viarum divertia, ab utero, in mammas, aliasque partes, affatim sensimque circumvehatur. Quotidiana enim docet experientia, quoties lochia subito atque intempestive supprimantur, inflammationem uteri concitari, et, nisi cito restituuntur, febrem plerumque accendi ‡.

LOCHIORUM

* Puzos des Accouch. p. 160.

† Sennerti lib. iv. part. vii. cap. iii.

‡ Vanderwiel, obs. 7, 8, &c. p. 340. Quinque aut sex casus adducit, ubi a partu, lochia omnino defuere, nullo insequente periculo.

LOCHIORUM suppressio, ab omnibus pene erroribus, ut loqui amant medici, in non naturalibus, oriri solet: Opium vero, sub initium suppressionis adhibitum, obstructiones, a talibus caufis ortas, saepe referare, testatur usus.

1. Si obstructio e frigore suscepto nascatur, praecipue autem si dolor et inquietudo eam comitetur; quies Opio conciliata, et sudor inde prorumpens, sanitatis mox futurae sunt auguria*.

2. Si vehementiores animi affectus †, hysterica mobilitas, vel alia irritamenta quaevis, molestas, in sanguine atque in nervis, turbas concitaverint, quibus constrictiones solidorum anomalas, et exinde lochiorum suppressiones, creaverint; Opium, in auxilium advocatum, omnibus remediis certe praestabit: Utpote quod omnem spirituum

* Hildani observ. 42. cent. iv,

† Mann. Aphor. p. 147.

tuum perturbationem, solidorumque motum inordinatum, optime compescet.

3. LOCHIORUM suppressioni, si a dolore aliquo, non inflammatorio, procedat *, qui vasorum uterinorum ejusque orificii coarctationi causam dedit †; praecipue si origo doloris, in uteri cavo, vel in ejus vicinio, occlusa lateat, quae proinde, constrictione detenta, excludi nequeat ‡: Opium, mature subveniens, per efficaciam suam sedantem, relaxantem, et, ut quibusdam placet, aristolochicam, instar omnium erit remedium ||.

OMNIBUS, in genere, doloribus, perturbati-
nibus, spasmis, motibusque anomalis, praecipue vi-
giliis vomituque comitibus, quae salutarium ex-
cretionum

* Etmull. de vi Opii, diaph. cap. iii. § vi.

Hoffm. diss. de ignor. uteri struct. § 26.

† Smellie, vol. i. lib. iv. § iv.

‡ Boerh. prax. com. in aph. 1324.

|| Friend. Emmen. ch. xiv. p. 130.

Thomson. diss. de Opio, p. 127.

Tralles, § x. cap. iv.

cretionum obstructioni causam praebant; nisi suspicio aliqua de uteri laceratione aut ruptura, deque inflammatione suscepta, ex adverso nascatur; vel symptomata febris et caloris acrioris ingruentis, contrarium indicent: Opium, salutiferum omnino, et pene unicum, subest medicamentum *.

VII. IN ALVI FLUXU PUEPERARUM.

DIARRHOEA vehemens, una cum torminibus, si adsit, quae nec per enemata demulcentia, nec per rhabarbarum cum absorbentibus, nec per diaetam agglutinantem, cohiberi queat; praeципue si a frigore admisso, aut repentinis animi affectibus, nulla acri materia ingesta, proceſſerit; vel,

* Si lochia suppressa, Opium adhibitum, non restituat; et, a suppressione, jam infestet, aut enata sit, febris uterina inflammatoria; abesse hoc remedium omnino debet prorsus: Aut si urgentissimis doloribus, spasmodique nervosarum partium, caute opponatur, cum eo methodus antiphlogistica conjungenda erit; cumque haec Opium omnino excludat, eo magis id vitare oportebit, quo magis sui medelam inflammatio requirit.

64 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

vel, intra triduum a partu, promanare incepit; et, super omnia, si ab ea, veluti causa, quovis Puerperii tempore, lochiorum imminutio, obstruetio, vel ulla symptomata mala, deduci possint; Opio tempestivius adhibito, sub tali rerum concursu, febre vero nondum accensa, plerumque mansuescit, et, propriis adjumentis salutaribus oportulantibus, tandem evanescit*.

OPIUM tamen, ad hunc morbum compescendum, decet cautissime propinare, et causam diarrhoeae specialem semper antea prospectam habuisse, aut simul prospicere. Quamvis enim diarrhoea plurima Puerpetis pericula secum frequenter afferat; ut quae lochia sollicitet, ut aliorum divergant; et vasis uterinis, hinc non referatis ac depletis, inflammationes aut obstructiones noxias suscitet; quamque, priusquam lochiorum fluxus revocari queat, necessario cohiberi oporteat: Eam tamen, per fese, lochiorum munere non raro defungi, ex aequo liquet. Probe memini, diarrhoeam,

* Roderic. a Castro, de morbis mulier. lib. iv. ch. xiv.

rhoeam, partui recenti supervenientem, munus lochiorum peregisse, et aquam in abdomen hydropicam, diutius latentem, omnem omnino simul exhausisse, foeminamque sat cito convaluisse.

LACTE jam secreto, diarrhoeam salutarem esse, non raro testis adfui; foecesque alvinas, viventes, acidas, tanquam lactis coagulati speciem prae se ferentes, acrimoniae peccantis naturam, ac proinde ex ejus excretione spem levaminis, satis aperte commonstrasse.

RES etiam nunc satis vulgata est, usque illustrium in arte confirmata*, febres quasdam, Puer-
I peris

* Hancce prixin nobis primus innuit, clar. HUNTER, ab aliis jam inde confirmatam, exemploque nuperrimo sub propria experientia comprobata.

Primipara delicioris habitus, die postquam foetus ediderat nono, rigoribus diu continuatis, calore febrili, haud mediocri, subsequentे, corripiebatur: Cui, amico nostro BAKER suafore, enemata purgantia et haustus salinos, cum rheo, exhibui; dieque proximo, febrem multis sedibus levatam, accessionesque inde quotidie minores, aegramque, haud multis post diebus, per eandem medendi methodum, febre omnino liberatam, laetus comperi.

66 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

peris periculosas, LOCHIIS rite fluentibus, e lactis, ut videatur, secretione deturbata vel repulsa natas, catharticis, diu continuatis, quotidie tolli *.

ATTAMEN, ubi alvinae evacuationes aut intempestivae fiunt, aut modum excedunt; nihil votis medici, diarrhoeam fistere, salvis lochiis, molientis, aeque respondet, ac salutiferum Opii auxilium; nullumque, dextre usurpatum, mala imminentia pulchrius praescindit. Tutissime nimurum id adhiberi potest, quo a remediis adstringentibus plurimum discrepat; quia lochia non saltenti non suspendit, sed potius promovet, sopitaque intestinalium fibrarum irritabilitate, sanguinis, quem attenuat et rarefacit, fluxui sustendo inservit: Si fides TRALLESIO solerti concedatur †.

VIII.

* Vid. Roderic. a Castro de morb. mal. lib. iv. ch. xii. xiii.

Forresti lib. xxviii. obs. lxxxii. p. 402. ubi quodammodo de usu Cathart. in febribus puerper. differitur.

† Tralles de Opii usu, § iv. cap. iv. N° iv.

VIII. IN LOCHIORUM FLUXU NIMIO.

QUEMADMODUM Opium in lochiis suppressis utilissimum invenitur esse medicamentum, a scriptoribus itidem illustrissimis in eorum fluxu nimio maxime collaudatur * : Atque, sicut lochiorum obstru^tio tunc tantum pro morbo censeri debeat, quum eam mala signa comitantur ; ita fluxus eorum nimius tunc tantum animo Naturae contrarius esse censembitur, quum virium deficientium symptomata insequuntur.

imo, Si vero hocce profluviu^m, a Puerperae defatigatione nimia, vel ab animi inquietudine aut perturbatione, vel ab utero, saeviore partus dolore †, laefione leviori aut vacillatione, debilitate ‡, vel ab alio quovis irritamento, e fluidis solidifve, quibus levamen quietis interpellatur, originem traxerit: Tunc Opium, quatenus cardiacum reficiens,

* A Sylvio, Boerhaav. Young, Lieutand, &c.

† Young, p. 73.

‡ Tralles, § iv. p. 122.

68 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

ciens, irritationum omnium dulce lenimen, somnique nutrientis gratissimum incitamentum, ad instaurandas foeminae vires, tempestivum ac salutiferum conferet auxilium.

2dō, PROFLUVIO, si proceſſerit ab ullo dolore, ſtimulo, motuve anomalo, in utero concitato, ex irritationē cujuſvis materiae alienae in ejus cavo detentae, quae, propter oris uteri conſtrictionem, nec excerni nec extrahi potuerit: Opium, ſub hac rerum conditione, praeftantiffimum et fere unicum plerumque invenietur palliativum. Hoc enim remedio, ſtimuli refraenantur, motus anomali compescuntur, conſtrictiones laxantur; unde peregrina, ex utero profuga, facilius elabuntur*, utero quies indulgetur, et contractio vaſorum naturalis ad integrum reſtituitur†: Quo pacto, in expellendis concrementis grumofis quibusvis, medicamentis omnibus pellentibus longe praefat hujus uſus. TRALLESIUS ‡ Opium, eodem cum proposito,

* Boerh. praxis com. in aph. 1327.

† Young, p. 74.

‡ Tralles, § iv. p. 123.

proposito, frequentius usurpavit: Cui, inquit,
 " Interduim addidi nitrum, quod vim illius, san-
 " guinem commoventem, et orgasticam, cicu-
 " rat, dum interim, quam volumus Anodyniam
 " prorsus intactam relinquit."

3tio, PROFLUVIO, si languori, mentis deje-
 ctioni, nervorumque debilitati, causam referat;
 Opium, per suas exhilarantes, analepticas, refo-
 cillantesque virtutes, corroborantibus adjunctum,
 insigni futurum est emolumento * : At in maxi-
 ma parte morborum, e lochiorum fluxibus im-
 modicis orientium, Opium, ad levanda sympto-
 mata, tantum usurpari debet; usuique restringen-
 tum, demulcentium, agglutinantium, et reme-
 diis congruis alimentariis, semper conjungi o-
 portet.

PAUCA vero Monita Generalia jam supersunt,
 haud reticenda.

OPIUM

* Young, p. 73. 78.

70 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS

OPIUM ventriculo cibis repleto, raro congruit.

FEBRICITANTIBUS porro caute et cum judicio exhibeatur; at vero, si inflammatio aliqua febrem comitetur, ubi suppurationem vitare oporteret, nunquam.

OPIUM raro propinemus, nisi dolores gravissimi, et motus solidorum admodum anomali, ejus usum postulaverint; aliisque remediis se haud coerceri passuros, luculenter monstraverint.

CAVEAMUS, ne, per dosin, aegrotantis constitutioni male appropriatam, aut saepius quam causa postulaverit repetitam, peccaremus. Desistamus enim, aut longiora proebiis intervalla assig-nemus, voti jam compotes.

OPIUM systemati nervorum delicatori, plerumque adversarium: Nec, nisi grave aliquod malum, graviusque post sese tracturum, solo tamen Opio saltem abigendum, justus huic remedio erit locus*.

IX.

* Tralles, § iv. ch. iv.

IX. IN FEBRIBUS MILIARIBUS.

Nec hora, nec locus, nobis supereft, ultra limites jam progressis, ut quaeramus, quibus tandem temporibus, quibusve cum cautelis, in febris Puerperarum periculosis, quae Miliaribus Exanthematis discriminatim insigniuntur, Opium administrari possit. Sed notâsse sufficiat, quod, inter harum febrium cursum, scite et caute propinatum, multum utilitatis afferat ; quod ex nostra experientia propria circumscripta vix praedicare ausim : Attamen ex Anodynis et mithridatio praecipue, effectus optimos, in vigiliis, doloribus, et aliis symptomatibus anomalis, non mihi tantum persaepe vidisse contigit ; sed etiam paucantium usus quodammodo a clar. HAMILTONIO comprobatur, his verbis, “ Ut aegri, quo magis “ somnolenti, eo citius convalescunt ;” et a testimonio praeterea omnium fere, qui de hac febre differuere. Hi enim omnes cardiacam et tempore diaphoreticam medendi methodum hortantur ; aliqui horum pene mithridatio solo confidunt ;

72 DE PAPAVERIS EFFECTIBUS.

dunt; et omnes, acrimoniam corrigi, stricturas relaxari, materiamque morbificam ad cutis poros derivari, oportere, uno ore consentiunt. Eosdem autem effectus ex Opio conciliari, constat. Nec non et inquietudo, vigiliae, spirituum languor, diarrhoea subita, et pustularum retrocessio intempestiva, salutarem Opii usum maxime postulant. Hosce vero morbos periculosos, doctioribus relinquo: Dum Lectores oro atque obsecro, ut haec, qualiacunque sint, aequi bonique consulant. Timide enim, atque invitus, opusculum hocce inconditum, oculis eruditorum subjicio.

F I N I S.

